

ista mysteria edita fuisse molestius ferat *Carolanus Caraffa*
in Germania sacra restaur. part. I. p. m. 139. Sed & huc
referre queas *mandata avocatoria* contra eos, qui cum
civitati peculiariter obstricti essent, exterorum se mi-
nisteriis juramento interposito admoveri passi sunt,
Quos uti merito suo reprehendimus, si quidem teme-
re nomen Dei invocarunt ad declinanda officia, queis
superiori jam devincti erant; ita ubi mandatis civitatis
sue paruerint, utique immunes à perjurio habentur;
quod exceptio juris alterius per modum conditionis in
juramento illo supposita sit putanda, utpote citra quam
juramentum æquè ac simplex promissio non subsi-
stet. Vid. supra §. VIII. sub finem.

XV. Juramenta præterea non immutant natu-
ram & substantiam pacti, promissive, cui accedunt,
ut v. c. promissum conditionatum adjecto jurecurando
fiat absolutum. Sicuti nec actus speciem transformant,
ut quod e. g. donatio fuit, apposito juramento con-
tractus onerosus evadat, & vice versa. Sic & pro na-
tura promisi aut pacti, cui firmando juramentum
præstitum est, id habet efficaciam ex jure naturali aut
civili. Ubì tamen non repugnat, dari negotia, quæ
in se invalida sint in foro civili, sed accidente iuramen-
to confirmantur, ideo quia naturali vitio non labo-
rant, sed quia duntaxat facilem occasionem posse
præbere, ut lœdatur is qui suscepit. Vid. I. I. C. Si ad-
versus vendit. Quo loco circa *authentic. Sacra menta puber-*
rum C. d. r. breviter monemus, verum quidem esse per-
tinere eandem ad convalidandos actus iure civili in-
validos, (neque enim alias novi quippiam constituis-
set *Friedericus Imperator;*) ast non omnes; sed eos
tantum, qui ratione solius ætatis & iure singulari à
minoribus celebrati essent nulli. Ergo si contractus
negotiumve nec inter maiores valeret, neque iuramen-
to